

Atque utinam! vestram digne sat carmine formata

Possem ego, Elaphites, concelebrare, nurus! 110

Vos prima istius ferretis praemia palmae,

Atque novus Vati surgeret inde decor.

Scilicet ingenuo num ditior illa Poetae

Materies lecti carminis obveniat,

Quam vos in multam cum noctem non sine cantu 115

Alternis choream ducitis ordinibus

Ad blandae numeros citharae? Quae gratia! qui tunc

Vultus! quae moti corporis illecebra!

Ut festo circum sonuerunt omnia plausu!

Ut micuere pedes, ut micuere oculi! 120

Quid non hic pulcrum est, laetumque, et amabile? quid

non

Ipsa suo genitrix finxit honore Venus?

Atque ego non alia magis optem degere terra,

Quodeumque hoc aevi stat, superestque mihi,

Artibus aut alibi florere inglorius otium 125

Urbibus insanis major, et Aonidum

Alternare bonas studiis agrestibus artes

Suaviloquos inter carminis artifices.

Et modo puniceae exortum praevertere lucis,

Retiaque agminibus tendere squamigeris, 130

Et modo Dalmaticos telo configere turdos

Venator praeda pennipotente gravis:

Hibernasque hilari noctes producere ludo,

Laetari et donis, Bacche benigne, tuis.

Donec, sed tarde, matura aetate senectus 135

Compleat extremos absque dolore dies.